



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Probatur ex Nicolao primo, qui ait sedem apostolicam eum habere
debere pro damnato qui judicio Episcoporum fuerat damnatus. At si
dejectus appellaverit apostolicam sedem, tum recipi eum posse in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

& Imperij Lib. VII. Cap. XXI. 357

vel Legatis suis in provinciam mittendis. Constitutio autem hæc versa fuit à Gregorio in legem generalem, scripta videlicet epistola ad Episcopos Galliæ, Germaniæ, & Europa, quæ extat integra in secundo tomo Conciliorum Galliæ; ejus autem excerpta extant apud Ivonem in Decreto & apud Gratianum 2. q. 6. Hæc sunt verba Gregorij: *Liceat illi post auditionem Primum Diocesos, si necesse fuerit, nos appellare, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut ante Legatos nostro ex latere missos, juxta patrum decreta suas exercere atque finire actiones; nullusque illum ante hec judicer, aut judicare presumat.*

I I. Eam constitutionem imitatus est Leo quartus anno DCCCXLIX, ad Episcopos Britannia scribens. At enim Episcopum damnari non posse nisi à duodecim Episcopis: nisi si Papam appellaverit. quo casu nemo potest sententiam pronuntiare adversus eum. *Si Episcopus, inquit, suam causam in presentia Romane sedis Episcopi petierit audiiri, nullus super illum finitivam presumat dare sententiam; sed omnino cum audiiri decernimus.* Refertur hic locus à Gratiano 2. q. 4. cap. Nullam. Epistola vero extat integra in tomo tertio Conciliorum Galliæ.

III. Hæc duæ constitutiones Gregorij & Leonis quarti contraria erant canonibus in duobus capitibus. Tum ex eo quod jubent ut si Episcopus accusatus appelleret à synodo provincie ante judicium, vel si primam causæ suæ cognitionem à Romano Pontifice suscipi posset, litis instruptione supersedeatur, donec Papa statuerit quid sequendum sit. Tum etiam ex eo quod arbitrio ejus reservant an Episcopus in urbe Roma judicandus sit, an vero dimittendus in provinciam, illuc judicandus coram Legatis apostolicæ sedis. Quod sumptum est ex more usurpatum à Gregorio magno, qui tamen Gallias & Africam distinguebat ab aliis provinciis, & cum eis diverlo prorsus modo se gerebat quam cum aliis.

I V. Galli tamen ea tempestate contraria Gregorio quarto & Leoni quarto usurabant quoad jus appellationum. Nam quoad primam causæ cognitionem dubium non erat quin Episcopi ad synodum à Principe evocati possent deponere Episcopum. Quin & ipsi quoque Pontifices novarum quas diximus constitutionum auctores, aut eorum successores, nunquam contradixerunt, huic auctoritati; tametsi jam tum vulgata essent Hadriani primi Capitula & apocryphae Pontificum Romanorum epistolæ ab Isidoro Mercatore collectæ. Sanè res ista probari potest ex adductis Gregorij quarti & Leonis

quarti constitutionibus, qui ei Episcoporum auctoritati non derogant nisi in casu appellationis. Sed præterea id ipsum probari potest ex duabus locis Nicolai primi valde illustris.

V. Primus petitur ex causa Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Anno DCCCXXXV. Ludovicus Pius Imperator synodum apud Theodosi-villam convocavit, cui interfuerer octo Archiepiscopi & Episcopi triginta quinque; in qua Ebbo dejectus est. Quippe crimen suum confessus fuerat, partes nimurum Lotharij fecutum se esse adversus Ludovicum patrem, istum vero exauctiorasse prætextu penitentiae publicæ. Cum autem is post dejectionem suam Romam profectus esset, à Sergio in communionem receptus non est. Vnde Nicolaus sumit occasionem scribendi sedem apostolicam eum habere debere pro damnato qui judicio Episcoporum fuerat damnatus, juxta constitutum canonis quinti Nicæni, quem laudat. At si dejectus appellaverit apostolicam sedem, tum recipi eum posse in communionem Ecclesiæ, postquam causa fuerit examinata in synodo. Vnde colligitur appellatione ad apostolicam sedem suspensum non fuisse effectum sententia à primis judicibus late, quoad depositionem nimurum & privationem communionis episcopalis, tametsi suspenderetur quoad ordinationem alterius Episcopi in loco dejecti. Magni autem momenti sunt verba Nicolai, quæ sic habent in epistola ejus ad synodum Sueffionensem: *Porro si quispiam sedem apostolicam per Ser-gium sancte memorie Papam Ebonem quoniam Archiepiscopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, noverit quoniam talem sedes apostolica debuit Ebonem, donec synodali ejus examine causa discuteretur, habere qualem ab aliis habitum non ignorabat. Infrā: Donec igitur auctoritate sua super hujuscemodi pusilli- nimitate aut contentione aut alio quolibet vitio examinatio vel dijudicatio proveniret, apostolica sedes nihil agere debuit nisi quod egit, videlicet ut ab aliis abjectum ipsa nequaquam indis- cusse susciperet; precipue cum predictus Ebbo, non quasi pro depositione sua queritans, vel le- gitime restituvi volens examine precedente, se- dem apostolicam appellaverit, ----- à qua, jam reprobatus ab aliis, merito debuit reproba- ri, donec supplex ab eo sese canonice posceret ad- juvari.*

VI. Secundum caput quod ex epistolis Nicolai primi colligitur, hoc est, agnoscere illum inesse synodis provinciarum legitimam auctoritatem ad deponendos Episcopos, neque necessariam esse delegationem Summi Pontificis. quod colligitur ex epistola ejus

Y iij